

domini M<sup>o</sup>CCC<sup>mo</sup> vicesimo primo, regni vero nostri anno septimo.

Siegel und Pressel fehlen.

Auf der Rückseite der Urkunde Vermerke der Empfängerkanzlei.

II. Ludwig IV. verbietet die Ausübung der Grundruhr am Rhein.

1339 März 9. — Böhmer Reg. 2830. — Orig. im Staatsarchiv Koblenz.

Ludowicus dei gr(atia) Romanorum imperator semper augustus. Universis sacri Romani imperii fidelibus, quibus presentes exhibite fuerint, gr(ati)am suam et omne bonum. Ad nostre celsitudinis noticiam non sine gravibus multorum querimoniis est deductum, quod nonnulli presertim super alveum Reni sibi hactenus vendicaverint et vendicent ius se intromittendi de bonis, rebus et mercibus eorum, qui naufragium paciuntur, eadem bona, res et merces animo sibi retinendi occupando et de eis pro suo libito disponendo. Cum igitur huius iuris vendicatio seu usurpacio sit contra omnem equitatem ac naturalem quoddammodo rationem dictantem quem duplici afflictione et incommodo affligi non debere, nos vestigiis predecessorum nostrorum inherentes omnibus nobis et dicto sacro Romano imperio subditis, cuiuscumque status vel condicionis extiterint, interdicimus et penitus inhibemus, ne quis bona, res et merces qualescumque naufragium in dicto alveo Reni paciencium animo sibi retinendi quoquomodo presumant vel audeant(!) occupare seu se intromittere de eisdem vel alias dictis naufragium patientibus iniurias seu molestias aliquas ingerere vel inferre, non obstante aliqua consuetudine seu potius abusione, si qua a quoquam in contrarium de facto fuerit observata, quam quidem consuetudinem, si sic dici meretur, tamquam corruptelam et erroneam ac nulla ratione fulcitam reprobamus, cassamus et annullamus, immo cassam, invalidam et reprobam fore tenore presentium declaramus. In cuius rei testimonium presentes conscribi et nostre maiestatis sigillo iussimus communiri.

Dat(um) Franchenfurt feria tertia post dominicam Letare proxima, anno domini millesimo trecentesimo tricesimo nono, regni nostri anno vicesimo quinto, imperii vero duodecimo.

Beschädigtes Siegel am Pressel.

Auf der Rückseite der Urkunde: R<sup>a</sup>; im Uebrigen Vermerke der Empfängerkanzlei.